10/5 1654

Andreas Comes de Leszno Dei gratia Archiepiscopus Gnesnensis
Legatus Natus Regni Poloniae Primas Primusque Princeps.

Honorandis Viris Vicarijs Ecclesiarum quarumvis Curatis, Praelatis quibusvis Clericis
Scholarum Rectoribus tenore praesentium requirendis salutem in Domino. Mandamus vobis
in Virtute Sanctae Obedientiae et sub Excommunicationis poena quatenus ad Instantiam Instigatoris
Curiae Nostrae personaliter accedendo Magnificum Dominum Martinum Nieborowski Succamerarium
Terrae Sochaczoviensis uti Executorem Testamenti Magnifici olim Martini Sadowski
Castellani Gostinensis ipsum Domino edictis praesentibus et peremptorie Citetis, quem etiam Nos praesentibus
Citamus, ut coram Nobis Iudicioque Nostro Loviciae vel ubi tunc cum Curia Nostra feliciter in Domino
constituti fuerimus Die Decima quinta Mensis currentis May hora audientiae causarum
sanctae fieri solita personaliter Legitime, ac peremptorie compareat. Ad videndum et audiendum
contra se proponi. Quia ipse in contemptum Authoritatis Nostrae Ordinariae non expectata
Approbatione Testamenti praefati Magnifici Castellani Gostynensis per Nos Iudicemque Nostrum
facienda summis pecuniarijs, et rebus in Auro, argento, Clenodijs, vestibus, aliaque
Materia consistentibus totaque suppellectili domestica, morte eiusdem Magnifici Castellani
derelictis disponere ausus est et praesumpsit, ipsumque ob praemissa puniri, totaliter praeipsum
facta et attentata dispositionem cassari et annihilari, caeteraque quae de Iure venient
statui et ordinari. Et nihilominus dicto Magnifico Domino Succamerario, alijsque praefati
Testamenti Executoribus Authoritate Nostra serio inhibeatis, et districte praecipiatis
Cui et quibus Nos praesentibus serio inhibemus, et districte praecipimus, ne ipse seu quivis
illorum quovis praetextu, colore et ingenio, tam per se quam per alias quasvis submissas
et subordinatas personas directe vel indirecte, tacite et expresse, ad dispositionem
rerum sic ut praefertur derelictarum procedere audeant et praesumant tamdiu donec
super praemissis per Nos aliter declaratum fuerit sub poena Mille Aureorum Hungaricalium
et in subsidium Excommunicationis. In quorum fidem etc. Loviciae Die 10 May
AD. 1654.

Locus Sigilli

Nostro sub sigillo

13